EXERCITATIO JURIDICA
DE

CHARTA
BLANCA,
von Blanqueten

QUAM
AUXILIANTE SUMMO NUMINE
SUB PRÆSIDIO
DN. GEORGII ENGELBRECHTI
Senioris, Sereniss. Duc. Brunsv. & Luneb. Consiliarii,
J. U. D. in Illustri Julia Codicis Profess. & Facult. Jurid.
Domini Patroni, Præceptoris ac Affinis sui æternum colendi
ad diem XVII. Decembr. MDCXCII.
IN JULEO MAJORI
publice ventilandam proponit
A. & R.
RUDOLPH ANTON BEHRENS,
Wolffenb.

Recusa 1735.



SERENISSIMO PRINCIPI

AC

DOMINO,

DN. AUGUSTO WILHELMO

DVCI BRVNSVICENSIVM AC

LUNEBURGENSIUM

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

Has ſtudiorum ſuorum primitias

Humillime offert

Rudolph Anton Behrens.



Q. D. B. V.

§. I.



Ihil fere tam malo depravatoque animo inter omnia animalia a Deo creata, ipso homine esse, nisi provida accesserit educatio, teste experientia cuilibet constat. Etenim propter amorem sui ipsius, propriumque commodum, proximum suum fallere & circumvenire, minima isti religio est, *vid. Arist. lib. I. Polit. cap. 2.* Hinc non raro accidit, ut factas promissiones, pacta, pecuniæ numerationem & quicquid contractus generis est, negent, & sic datam fidem fallant, quod tamen juxta *L. 1. pr. ff. de Const. pecun.* admodum grave est. Ad præcavenda itaque hæc peccata, natura quasi hominibus innata, inque majorem fidem & securitatem, laudabils Instrumentorum usus inventus est, quibus hominum pacta, transacta, promissiones, contractus &c. inscribuntur, in favorem eorum, qui opibus suis indigentiæ civitatis, reipublicæ & subditorum consulere, & succurrere volunt, ne iidem damnum incurrant, adeoque in posterum indigentiam civium sublevare nolint. Ad hæc vero instrumenta haud male forsan refertur *charta blanca*, cujus inventio perantique, *vid.* *Fundamentum.*

A 2 *Flaci-*

Flaccius Illyricus de translat. Imp. in proleg. p. 16. ad nostra usque tempora firm a validaque permansit, quod sæpissime usu venire soleat, ut personis quæ cum aliis contractum quendam inierunt, propter multa impedimenta non concedatur tantum temporis spatium, ut ipsæ super ea, quæ in contractum aut obligationem venerunt, ordinarium Instrumentum conficere queant, unde in supplementum & defectum eius solent personæ sese obligantes chartam blancam, uti vocant, tradere, subscripto nomine, sigilloque impresso, cui Creditores juxta legem conventionis contractum celebratum inscribere possint. Præcipue vero chartarum vacuarum usus spectatur in negotiis publicis, cum res intricata & ancipitis consilii, ac propemodum desperata, cui certus præscribi modus & medela nequit, a legato apud extraneum Principem expedienda est. Uti exemplum habemus in Circulo Burgundo legatis suis libera nonnunquam mandata dante, charta vacua eum in finem tradita, Caroli Ducis nomine solum subscripto, ut, quodcunq; in legatione apud Ludovicum Galliæ Regem usu veniret, & e re esse videretur, incontinenti absque novo jussu agi posset. *Cominæus lib. 1. Comment.*

§. 2.

Definitio & divisio nes chartæ blancæ.

Variæ autem cartarum blancarum appellationes sunt. Latini eas appellant chartas blancas, vacuas, albas, Gremani Membranen, Galli Blanquet, Itali Bianca, unde originem & denominationem a Gente Italica, trahere videntur, *Mager. de Advocat. armat. C. 9. n. 57. & 89. Hering de Fidejuss. C. 11. n. 103. Finck. Obs. Pract. 8. n. 2. & n. 11. in fin Berl. p. I. concl. 14. n. 91.* Describimus autem chartam blancam, quod sit *schedula scri-*

la scri-

la ſcriptura vacans, quam unus alteri, ſubſcripto nomine ſuo addito etiam interdum ſigillo, eum in finem dat, ut accipiens mandatum vel conventiones celebratas in fidem & ſecuritatem ei inſcribat. Non unius vero generis charta blanca eſt, ſed tripliciter ea a Doctoribus dividitur. Aut enim nomen ſolum ſubſcriptum eſt; aut nomen & ſigillum ſimul imprimitur; aut ſigillum tantum. Alludit etiam ad ejusmodi chartas blancas eleganter Guntherus in vita Friderici Imperatoris.

impreſſo plurima ſigno
Deprenſa eſt vacuis apud illos pagina chartis.

§. 3.

Perſonæ quæ chart. blan. dare poſſ.

Perſonæ in hac materia conſiderandæ ſunt dantes & accipientes chartam blancam. De prioribus primum Quicunq; igitur liberam rerum adminiſtrationem habent, ſive ut domini; ſive a lege, aliisq; negotia expedienda demandare, ſeque eis obligare, poſſunt, illi & chartam blancam dare queunt, & ſunt perſonæ tam publicæ, quam privatæ. Publicæ ſunt Reges, Principes, Comites &c. qui in primis miniſtris ſuis chartas blancas dare ſolent, quoniam propter multa variaque imperii negotia, quibus quotidie obruti ſunt, non omnia accurate conſcribere, legere & relegere poſſunt. Et ſolent plerumque Legatis ſuis talia mandata libera dare, quæ tamen res periculo non caret, ut monet *Beſoldus in tract. de Leg. cap. ult. n. 4.* Cavebunt igitur ſibi Principes, ne nimium faciles ſe exhibeant officialibus ſuis in concedendis chartis albis propria manu ſubſcriptis, ſigillove munitis, quippe iis pacta inſolita, legationes & apochæ, unde magnum damnum & periculum in publicum redundet, inſcribi poſſunt. *Aret. in l. ſi ſtipulatus §. Chryſogonus n. 6. D.*

 de

de Verb. Oblig. qualia exempla peti possunt ex *Paulo Fusco in singular. verb. subscribens & Mart. Mager. de Advocat. armat. C. 9. n. 87.* Et similis foliorum vacuorum abusus Historici incusant Wenceslaum Imperatorem tradentes, eum frequenter, pluresque membranas nudas Imperatoriæ Majestatis sigillo munitas pecunia vendidisse, in quibus tum emtores, tum alii in quorum manus venerunt, sub regio sigillo quæ vellent, scribere poterant. *Gregor. Tholos, de Republ. libr. 26. Cap. 4. num. 3. Gold.* in Reichssatzungen *fol. 158.* ubi inter alias ad degretationis causas hæc etiam expressa est: **Daß er um Geldes willen seine Abgesanten mit ungeschriebenē Briefē, die man Membranen nennet** (vulgo Blancquette, a Gallico blanquet album significat) **und mit Sr. Maj. Insiegel besiegelt weren ins Reich geschicket, damit hernach die** Legaten, **oder denen die Membranē anvertrauet würden, unter dem Königl. Insiegel schrieben, was sie wolten, dadurch das heil. Reich an seinen Würdē und Nutzen schändlich beraubet und entgliedert worden.** Unde factum postea, quod privilegia in ejusmodi membranis vacuis scripta a Ruperto Palatino, qui in ejus locum ad regimen assumtus fuit, ex consilio Procerum ipso Wenceslao adhuc vivente cassata & annullata fuerint, **daß sich niemand derselben** privilegien **weder in, noch** extra judicium **gebrauchē solte.** *vid. Annotat. Joh. Jacob. Speidel. ad Martini Rumelini dissert. in Aur. Bul. thes 3 lit. C. §. Verum Wencesl.*

§. 4.

Quin etiam Prælatos, Abbates, Episcopos, imo ipsum Pontificem chartis vacuis uti posse, nulla superest du-

est dubitatio. Et hoc minus dubii habet de Archiepiscopis & Episcopis Germaniæ, sive Romano-Catholicæ, sive Evangelicæ religioni addicti sint. Illi enim statim quamprimum electi vel postulati sunt, licet nondum sint confirmati, vel a Pontifice pallio ornati, ea, quæ jurisdictionis sunt, non exercent solum, sed etiam in comitiis Imperii & aliis conventibus voti jure fruuntur, & Archiepiscopatus vel Episcopatus nomine ad comitia a Cæsare vel Rege Romanorum vocantur. Eitel Friederich von Heerden in der Grundfeste §. 37. & 165. licet de jure Canonico ante consecrationem & confirmationem forsan aliud dicendum videatur *arg. C qualiter 17. Extr. de Elect.* Hisce vero Augustanæ nimirum Confessioni addictis Episcopis hoc multo denegandum est minus, cum plane nulla consecratione vel confirmatione Pontificis opus habeant. *arg. Inst. Pac. Osnabr. art. 5. §. Elect. aut Postulati in Archiepiscopos, Episcopos, aut Prælatos 20.* Quin & universitatis, civitates, & alia corpora licita, ut etiam pagos non excludamus, cum mandandi potestatem habeant, chartas vacuas dare posse asserere non dubitamus *arg. L. 1. §. 1. & 2. l. 2. & 3. ff. quod cujusque Univers. nom.*

§. 5.

Quod Tutores & Curatores in causis pupillorum & minorum aliarumque personarum cura indigentium chartis albis uti possint, affirmandum putamus. Aut enim ejusmodi negotia prosunt pupillis & minoribus, tum nulla impugnandi causa adest, aut damnum iis afferunt, & hoc casu, si non possunt nulla declarari remedium restitutionis in integrum ipsis conceden-

cedendum est *arg. tot. tit. ff. & C. de Rest. in integr.* vel etiam, si malint, ab ipsis tutoribus vel curatoribus damnum ex ejusmodi chartis vacuis datum repetant *L. 3. L. f. C. si tut. vel curat. interv.* Miles etiam folia alba dare potest, modo non illis fideiussionem a se factam inscribere jusserit. Nam uti non fidejubere ita nec chartam blancam eum in finem alteri dare potest, *L. 31. C. Locat. Cond. Hering. de Fideiuss. cap. 7. n. 72.* Quod mulieres dare queant chartam vacuam, ideo admittere possumus, quia sese ipsas obligare valent, modo intercessiones ac fidejussiones excipiamus, nam alba folia eo nomine a mulieribus data sunt ipso jure nulla, *arg. L. 161. §. 1. in fine ff. ad Senatus C. Vellei.* nisi sint mulieres illustres, quæ regnis & territoriis præsunt, adeoque regalia habent, nam uti fidejubere, ita fidejussionis nomine chartam blancam dare possunt. *vid. Tabor. ad Colleg. Argent. tit. ad Senat. Vellei. th. 5.* Filius familias etiam folia vacua potest alteri concedere, excepto mutuo, propter Senatusconsl. Macedonianum *tot. tit. ff. ad Senatusconsl. Macedoniam.*

§. 6.

Possunt & aliæ privatæ personæ chartis iisdem uti, ubi tamen notandum, quod subscribentes talem chartam contra frandes & perfidiam, de iis, quæ tali chartæ inscribenda veniunt, specialiter præmoniti esse debeant *arg. L. 2. C. de reb. alien. non alien.* in qua lege aperte dicitur, si uxor ignorans instrumentum venditionis, quo maritus vendidit rem ejus, sigillo suo signaverit, scilicet putans rem locari, non vendi, eam nihil sibi nocere. Quicunq; vero e contrario defectus aliquo animi laborant, nec rerum suarum administratio-

ſtrationem habent, adeoque aliis ſeſe obligare non poſſunt, nec ſciunt ſcribere, illi chartam blancam dare non poſſunt. Tales autem ſunt Pupilli, furioſi, mente capti, qui abſque autoritate Tutorum & conſenſu Curatorum ſuorum nullum contractum inire poſſnnt, & conſequenter nec chartam blancam dare quæ deficiente ordinario Inſtrumento adhiberi ſolet. Prodigi, mutit, & ſurdi.

§. 7.

Viſis perſonis quæ chartas blancas dare vel non poſſunt, facile apparet, quæ vice verſa eas accipere & non accipere queant; ſic poſſunt accipere eas qui alios ſibi obligare poſſunt, & volunt, inque majorem fidem & ſecuritatem documento & probatione opus habent. Ita ut etiam pupilli in fantia majores & minores abſque tutorum autoritate & curatorum conſenſu chartam blancam efficaciter accipere poſſint. licet cauſæ ſint, ex quibus mutuæ obligationes naſcuntur, uti Emtiones Venditiones, Locationes, Conductiones, mandata, depoſita. Nam ſi tutoris autoritas non interveniat ipſi quidem, qui cum his contrahunt obligantur, at invicem pupilli ex ejusmodi chartis blancis non obligantur *arg. Init Inſtit. de Aut. Tutor. L. 13. §. antepen. ff. de Act. Emt. L. 33. ff. pro ſocio. L. 1. §. ult. ff. Commod.* Niſi in quantum locupletiores facti *L. 1. L. 5. §. 1. ff. de Aut. Tut.* Natura enim æquum eſt neminem locupletari cum alterius injuria *L. 14. ff. de Condict. indep.* Generalem itaque hanc formamus regulam: *Quicunque ſeſe obligare aliis poſſunt, & viciſſim alios ſibi obligare. illi chartam blancam dare & accipere poſſunt.*

quæ perſonæ chartam blanc. accip. poſſ. vel non

B Videa-

§. 3.

In quibus negot. chart. blanc. adbib.

Videamus nunc in quibus negotiis charta blanca concedenda & possumus iterum hanc nobis proponere regulam: *In quibus negotiis vel probationis ergo vel essentialiter scriptura requiritur. in iis chartam blancam concedere possumus.* Verum an etiam charta vacua seu blancetum subsignatum & subscriptum loco mandati sufficiat, negant multi Doctores utpote *Chassan. ad consv. Burgund. tit. de jurib. marit. Nicol. Boer. decis. 274. n. 3. v. volens*, quod etiam approbavit Christianus II. Elector Saxoniæ in der Appellat. Ord. wegen des versetzens mit *lit. B. col. vers.* die *Advocaten* einestheils usque adeo, etiamsi quis verbis expressis in subscriptione sua subjecerit, hoc esse mandatum in tali & tali causa, quoniam & in hoc suspicio falsitatis militat, *Boer. decis. 990. num 3. subf. fin.* Et multi sunt casus, ubi mandatum speciale requiritur, ad quod specialis consensus requiritur & talis generalis concessio non sufficit. Quod si tamen mandatarius ad ejusmodi Blancetum executionem impetraverit, vel alium actum etiam adversario præjudicialem in judicio exercuerit, & postea sciente & consentiente domino illud Blancetum compleverit, & integrum mandatum cum suis clausulis in eo scripserit, adversarius illum actum ex defectu mandati vel capite nullitatis impugnare nequit, sed prorsus valet. Uti hoc præjudicio corroborat *Berlich. concl 14. . n 161.* Quoniam ab initio blancetum illud ad mandatum est datum, & radix mandatti non deficit, & ideo merito valet *Angel. de Vbald. Consil. 370. num. 1. post med. vers. sed ubi radix mandati* Si enim ratihabitio domini

ex

ex postfacto subsecuta, sufficit, & mandato æquiparatur *L. ult C. ad Sect. Maced.* Quanto magis obtinebit, si ab initio per subsignationem & subscriptionem chartæ vacuæ mandatum alicui fuerit datum sed illud postea ab eodem in scripturam redactum. Verum cum hodie Stilus & mos curiarum observandus sit, sciendum ita usu receptum ut procuratoria plena, modico albo, sive unius lineæ ad ponendum procuratoris nomen excepto, ex stylo & generali ferme consuetudine omnium Curiarum tam secularium, quam Ecclesiasticarum typis soleant esse excusa, quibus si procuratoris nomen inscribitur eaque a dominis negotiorum subscribuntur, plene probant. Videatur *mandatum procuratorium* der Fürstl. Braunschl. Hoff.Gerichts Ord. *adiectum fol. m. 163.* Jung *Boer. decis. 274. n. 5.* Et notandum quod mandatum tale interdum solo sigillo probetur plene, ita ut cautio de rato non sit necessaria, si ita se habeat consuetudo, sicut Senis se vidisse practicatum dicit *S Germin. in cap. quamvis de procurat. in 6. Mantic. tit. 10. n. 3.* Ratio potest esse hæc, quia in sigillo imprimitur imago Domini, vel ad minimum character vel nominis literæ *L. 22. §. 4. ff. qui test. fac. poss.* Quin & chartarum vacuarum usus maximus est, si res intricata & ancipitis consilii ac desperata in negotiis publicis occurrat.

§. 9.

Nec porro solum in mandatis tum privata, tum publica negotia concernentibus, verum etiam in aliis contractibus & negotiis inter vivos chartarum vacuarum usus haud est exiguus, ita in contractu mutui ad conficiendum Instrumentum obligationis,

Carp. in Jurisp. For. part. 1. constit. 17. def. 42. in emtione venditione sive scriptis, sive absque scriptura contracta fuerit *vit. init. Instit. de Emt. vend. L. 17. C. de Fide Instr.* ad Instrumentum emtionis venditionis, zum Kauff-Brief, in Locatione conductione ad Locationis conductionis instrumentum charta vacua dari potest. Ita etiam in contractu Emphyteutico ad literas emphyteuseos zum Erbzinß-Briefe, in feudis ad investituræ literas, zum Lehn-Briefe, dominus tum Emphyteuseos, tum feudi directus folia vacua, si forsan ipsi repentinum & longinquum iter suscipiendum sit, relinquere posse, nulla forsan superest dubitatio. Nam in omnibus actus inter vivos, qui vel probationis gratia Scripturam requirunt *L. 4. ff. de probat. L. 4 ff. de Fide Instrum.* vel in scriptis celebrantur *vid. dict. init. Inst. de Emt. vend. L. 17. C. de Fide Instrum.* usum esse chartæ blancæ juri non est dissentaneum. Verum ut de actibus ultimarum voluntatum quales sunt testamenta & Codicilli idem velimus asserere, justa forsan dissentiendi adest ratio. Nam præsentiam ultimas voluntates condentium hoc negotium requirit, ut testes audire, & videre testatorem possint, & omnia uno contextu fiant, *§. 3, Inst. de Testam. ordin. L. 2. C. de Testam. Ordin. Notar de anno 1512. tit.* von Testament §. 2. in verb. wen aber der Zeuge allein mit eigener Hand unterschriebe, ita ut etiam testator testamentum suum cum testibus subscribat. *Quæcunque igitur negotia præsentiam alicujus requirunt, in illis chartæ blancæ vel plane nullus, vel exiguus est usus*, uti est Legitimatio, adoptio, juramentum testimoniale & similia.

§. 10. De

§. 10.

De modo ut aliquid addamus, videtur ordo nunc exigere, & loco principii præmittimus, dationem chartæ vacuæ nulli fere negotio propius accedere, quam contractui mandati. Nam uti ad mandatum mutuus consensus, ita etiam ac chartam blancam tam dantis, quam ad cipientis consensus requiritur. Uti in mandato non solum consensus verbis ore prolatis, verum etiam in scripturam redactis declaratur, ita & in charta blanca pro necessario & essentiali requisito est ut vel solum subscribatur vel solum subsignetur, vel ut simul subscribatur & subsignetur. Nec obstat, quod charta blanca detur, ut aliquid fiat, adeoque videatur subesse contractus innominatus do ut facias. Nam præter id, quod hic vera datio, per quam dominium rei transfertur, quæ ad contractum innominatum requiritur, non interveniat, adhuc charta blanca non in nuda datione consistit, sed pro peculiari forma & essentia exigit, ut vel subscripta solum, vel subsignata tantum, vel subscripta & subsignata simul tradatur. Notum vero est, negotium ad verum contractum proxime accedens, si specificam & peculiarem formam habet, potius pro contractu nominato habendum esse adeoque concludimus, dationem chartæ blancæ esse quasi specimen contractus consensualis mandati, unde fluit, quod quemadmodum mandatum vel mandantis tantum gratia §, 1. *Inst. Mand. L. 2. §. 1. ff. eod.* vel mandantis & mandatarii *§. 2. Inst. mand. L. 2. §. 4. ff. eod.* vel mandantis & tertii *§. 4. Inst. Mand. L. 2. §. 3. ff. eod.* celebratur, ita etiam charta blanca vel dantis solum gratia, uti fit, si ad mandatum *Modus*

 ei in-

ei inscribendum datur vel dantis & accipientis ergo, si a venditore emtor ad inscribendum Emtionis venditionis instrumentum vel dantis & tertii causa v. g. Secretario feudali a domino feudi ad literas investituræ conficiendas datur. In eo tamen videtur a mandato recedere, quod mandatum non solius mandatarii gratia ineatur, sed tum consilium subsit *§. 6. Inst. Mandat. L. 2. §. f. ff. eod.* Charta blanca tamen solius accipientis gratia dari possit si creditori a debitore ad conscribendum obligationis instrumentum detur. Et porro uti procurator in rem sive utilitatem alienam vel etiam in rem suam constituitur *vid. N. 4. 9. C. de Procurat. L. 33 §. fin. L. 34. ff. eod. L. 5. §. fin. mand.* ita etiam charta blanca vel datur in rem alienam hoc est ipsius dantis, vel in rem suam, i. e. utilitatem accipientis.

§. II,

Quoniam vero domino extraditio chartarum blancarum res sit periculi plenissima, merito cuilibet in tradendis iisdem caute considerateque versandum erit, porrigere enim chartam albam idem est, teste *Ariosto. cant. 9. stanza 82.* als sich auf Gnade und Ungnade ergeben und einē ein Blat zustellē, daß auf er schreibē mag, waß er will. *Et Herm. Hugo* eleganter in tractatu suo de origine scribendi inquit, si Principes tales chartas vacuas tradere volunt, die Fürsten nicht sollē leicht was unterschreibē, so sie nicht zuvor gelesen. Quod si vero necessitas urgeat, laudabili consilio prudentiaque Doctores hanc invenerunt cautelam, ut quis subscripto nomine, sigilloque statim addat specifice, in quam rem, ad quodq; negotium charta blanca a se data sit, sic enim postea negare nequit debitor

bitor, se hoc nomine chartam blancam dedisse, nec creditor in alium finem eam adhibere potest. *Vid. Dn. Stryk. in tract. de Caut. Contr. Sect. 1. C. 6. §. 12.* Etenim sicut in omni facto & in quovis instrumento animus & voluntas ad obligandum potissimum inspicienda *L. 20. pr. ff. de Obl. & Act. L. 39. pr. ff. de Furt.* ita & maxime in charta blanca attenditur hoc *arg. all. text.* Quodsi ergo subscriptio diversa sit a contentis in charta alba vel cum iis pugnet. quis quæso inficias ibit, subscriptionis potius quam contentorum rationem habendam esse postquam voluntas agentis ex subscriptione apparet. Vulgo quidem dicunt consentientem inrstumento ac subscribentem censeri consensisse omnibus in Instrumento contentis *arg. L. 178. ff. de. Reg. Jur. L. 2. ff. de Jurisdict. Hartm. Pistor. p. 2. quæst. 49. n. 24.* non tamen hoc accipiendum est de subscriptione limitata & ad certum actum restricta, ex verbis enim expressis si de animo & voluntate subscribentis constet, quid causæ esset, ut aliunde & ex contentis Instrumenti ab alio scripti & confecti anxie illam inquiramus *arg. L. 69. ff. de legat. 3.*

§. 12.

Quodsi debitor Creditori chartam blancam mittat, additis literis, er möchte auf beykommendes blanquet die Obligation so scharf aufsetzen als er nur immer wolte, & Creditor inscio debitore facultatem arrestandi debitorem in quocunque loco obligationi inserit, hæc verba blanqueto inserta debitorem non obligant; generalia enim debitoris verba ad casus, qui specialissima voluntatis declaratione egent, non extendenda sunt. Et tales clausulæ in obligationibus repertæ insolitæ sunt

in quas

in quas consensisse debitor non præsumitur. *Vid. Dn. Stryk. l. 2. c. 1. §. 40.* Inde etiam Princeps Cancellario suo, Ministrisve fidem habens chartis ejusmodi vacuis subscribat, eo ipso damnum non incurrit, licet reputetur, quæ postea scribuntur, confirmare, quia omnis confirmatio consensum, consensus scientiam, quam error excludit præsupponit. Nam confirmare non dicitur aliquis factum, quod ignorat. *Card. Tusch pract. Concl. 17. n. 4. lit. J.*

§. 13.

Effectus. Quemadmodum Mandatarius non potest excedere fines Mandati & si hoc facit, respectu mandantis negotium est nullum §. 8. *Inst. mandat. L. 5. pr. §. 3. & 4. ff. L. 12. C. Mandat. L. 10. C. de Procurat.* ita ut mandanti mandatarius ad omne interesse teneatur, non vice versa. *L. 41. ff. mand. Carpz. part. 2. const. 20. def. 12.* Ita chartam blancam accipiens ad idem est obligatus, adeo ut nullum alium in finem ea uti possit ac debeat, quam in quem data fuit, alias danti chartam blancam damni dati nomine obligatur, qui etiam statuimus uti mandatarius, ita chartam blancam accipiens non solum ad dolum, latam & levem, verum etiam levissimam culpam teneri *arg. L. 13. 21. C. Mand. Carpz. p. 2 Const. 20. def. 11. n. 6. Hahn. f Observ. ad Wesenb. tit. mandati n. 10.* Neque etiam hoc addere dubitamus, ut, quemadmodum mandatarius, ita etiam accipiens chartam blancam propter dolum condemnatus, infamis fiat §. 2. *Inst. de pœn. tem. litig. L. 1. l. 6. §. 5. ff. de his, qui not. infam.* Et crimen falsi comittat, cum dolose veritatem in alterius damnum immutaverit *L. 16. §. 2. L. 13. ff. ad L. Cor. de Fals. L.*

20. *Cod.*

20. *Cod. eod.* imo nec hoc juri absonum videtur, quod minister charta blanca adversus personam Principis vel præsentem reip. statum adque ejus eversionem abutens ipsum læsæ Majestatis ac perduellionis crimen incurrat, *arg. tit. ff. & Cod. ad Leg. Jul. Maj. Aur. Bull. tit. 24.* & ex datione chartæ blancæ videtur oriri obligatio & utilis mandati actio.

§. 14.

Quodsi autem ille, qui talem chartam albam subscripsit, vel signavit, eorum, quæ postea scribuntur, habuerit notitiam & specialiter præmonitus fuerit, *Pfeil. consl. 39. n. 4. cent. 1. Besold. in thes. pract. lit. H. voc.* Hand Unterschrifft *& lit. C. voc. charta blanca 13.* efficaciter sese obligat ad ea, quæ scripta sunt, ubi requirunt, ut tenorem scripturæ subsecutæ prius relegerit, aliat enim eum non videri consensisse *L. f. C. plus val. quod act.* Optime itaque sibi consulet conscribens blancetum, si autori sive danti id ipsum simul ac conscriptum est, ad perlegendum reddat, qui, si illud sine contradictione accepit, ac penes se habuit, ut fuerit inspiciendi atque cognoscendi facultas, inspexisse ac cognovisse præsumitur, eoque consensisse, & comprobasse, quod scriptum est, existimatur, adeo ut contra eum, qui ejusmodi chartam blancam subscripsit, & subsigillavit, parata detur executio *Matth. Coler. de Process. Execut. part. 3. C. I. n. 130. Carpz. in J. Fort. par. 1. const. 17. def. 42. Berlich. part. I. concl. 14. n. 95. & seq.* & licet sese offerat ad dolum actoris probandum, ante executionem non sit audiendus, nisi

in continenti eum probare possit, sed cum sua probatione ad reconventionem reijciendus est *Col.d.loc.n.130.* cum standum sit instrumento, donec error & dolus actoris probetur *L. 2.C.plt s val.quod agit.* & liquidi executio per illiquidum non potest reterdari. Verum sigillum in charta vacua sive blanca sine præmissa scriptura res periculosa, perniciosissima, malique exempli est, suspicione non carens *Nic.Honth. Lib. 4.de art. Notar. C. II.n.70. Mart. Mag. de Advocat.C. n. 86. & seqq.* quod notavit *Nic. Boer. dec. 88.* unde regulariter sigillum tale non obligat, & ob id nihil probat, nec præjudicat, quoad conrenta ei, cujus esse dicitur *L.f.C.plat. val. quod agit. cap. psæsumieur de R. J. in 6. Coller. de process. Execut. allegat. loc. Everhard. tr. de fide Instrum. Honth l. 4. de arte Notar. C. II. n. 70. Ruland de Commiss. part. 2. l. 5. C. 30. n. 4. lit g & h. Wehn. pr. obs. voc.* Blancket, *Besold. in Th. Pr. lit. C. verb. charta blanca Mager. de advoc. arm. supra alleg. Berl. p. 1. concl. pract. 14. n. 94. Finck Obs. pract. 8. n. 2. & 3.* Est enim sigillum testis mutus & res inanimata ad hoc nventium ut scripturæ imprimatur vel ad custodiam apponatur. Itaque sine scriptura tanquam extra usum suum ad quem destinatum est, non videtur probare. Hinc suo sigillo sigillans chartam nudam non censetur ea, quæ postea Domino ignorante inscripta sunt approbasse & ratificasse uti sentit *Menoch. lib. 2. præsumt. 57. num. 14. Col. de process. Execut. cap. I. n. 130.* Accidit & hoc quod sæpius posset cuidam sigillum surripi atque ita falsitas committi. Porro scriptura in dubio non præsumitur charta blanca fuisse, sed ab affirmante talem

fuisse

fuiſſe probandum eſt, quod aliter facile fieri non poſſe, puto, quam per teſtes & juramentum.

§. 15.

Exſtinguitur charta blanca (1) ſi mutuo diſſenſu re adhuc integra revocetur §. *fin. Inſt. Quib. mod. toll. Obl. L. 35. ff. de R. J. L. 80. ff. de ſolut.* (2) integro adhuc negotio alterutrius tam dantis, quam accipientis morte §. 10. *Inſtit. mandat. L. 26. & 27. §. 3. ff. eod.* (3) ſi dans chartam albam re adhuc integra revocet *arg. §. 9. Inſt. Mandat. L. 12. §. pen. ff. eod.* (4) renunciatione ipſius, qui chartam albam accepit, modo fiat tempeſtive, niſi juſta cauſa interceſſerit intempeſtive renunciandi *arg. §. 11. Inſt. Mand.* & omnibus hiſce caſibus charta blanca poteſt revocari condictione ſine cauſa. Infringitur (5) fides chartæ albæ maxime ſi contraria inſtrumenta afferantur, *L. 14. C. de Fide Inſtr.* vel ſi negatur, chartam fuiſſe a debitore ſubſcriptam, aut quis manum ſuam jurato diffiteatur tunc incumbit affirmanti probatio, quod tamen non alio modo facere poteſt, quam ſicut in inſtrumentis aliis, vel per teſtes, vel per comparationem literarum *vid.* Hertz. Georg. Wilh. Cantzl. Ord. *tit. 22. §. 5.* Quod ſi vero chartam bleanam plane in alium uſum, quam ad quem data eſt, quis adhibeat, (6) Ordinarium habemus remedium hoc eſt actionem vel exceptionem nullitatis. Et ſi quis chartam nudam alicui dat, ut accepti mutui inſtrumentum in arbitrium Creditoris conferat, quo clauſulas, quas velit, apponere poſſit, & ita quam optime ſibi proſpicere, ille vero majorem ſummam inſcribat, locus eſt non

Quomodo infirmatur charta blanca.

numeratæ pecuniæ vel etiam doli exceptioni *vid. Besold. in de lib jur. p. 2. fol. 50.* Amissa vero forte fortuna charta blanca nihilominus tamen negotium super quo illa data est a debitore, subsistit. *arg. L. 4. ff. de Fid. Instr. L. 4. ff. de Pignor.* nam scriptura regulariter tantum conficitur probationis gratia, & sufficit hoc casu ipsum negotium probari.

ERgo etiam illa Domus, quæ laudæ Machaonis olim
Floruit, a seclo, per Pravos & Avos,
Enucleat nodos, solvitque ænigmata legum,
Et sacri placat thuris honore Themin?
Nam Tu, Phœbe ja celebris dum Frater in arte
Promeritos titulos amplificare studet,
Legale ostendis specimen, monstrasque peritis
Qua tractata Tibi Romula jura fide.
O bene! quam poterunt viduum mulcere Parentem
Post graviter læsæ tristia fata domus,
Grandia de gemino quæ surgunt gaudia Nato
Sint modo, sint votis perpetua ista meis!

affectus testandi causa scripsit

Heinrich Meibomius.

FINIS.